

## GAUDIUM.

## QUOD ESSENTIAM.

**DEFINITIO.** — Est affectio animi, alicujus presentis boni opinione concepta. Vel, ut S. Thomas vult, est passio concupiscibilis, proveniens ex perfectionis appetita conjunctione, secundum interiorum apprehensionem sensus vel intellectus. S. THOM. IV. *Sent. dist. XLIX, q. III, art. 1.* Volunt autem aliquid, gaudium per hoc a lætitia distingui, quod lætitia sit hilaritas extrinsecus apparens; gaudium vero sit hilaritas intra animum conclusa.

**DIVISIO.** — Dividitur. 1. in *bonum et malum*; quorum illud de honesto et licito; hoc de inhonesto et illicito objecto, concipitur.

Dividitur 2. in gaudium *spirituale et sensibile*; ex quibus prius de rebus spiritualibus et cœlestibus oritur; posterius vero ex objectis sensu perceptibilibus hauritur.

## EX S. SCRIPTURA.

**QUALITAS.** — Lætamini in Domino, et exultate justi; et gloriâmini omnes recti corde. Ps. XXXI, 41.

Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. PHIL. IV, 4.

Secura mens quasi convivium. PROV. XV, 15.

Gaudens gaudeo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. ISA. LXI, 10.

Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. MATTH. V, 12.

Cognovi, quod non esset melius, nisi lætari, et facere bene in vita sua. ECCLES. III, 22.

Vade ergo, et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum; quia placent Deo opera tua. IBD. IX, 7.

Non est oblectamentum super cordis gaudium. ECCLES. XXX, 16.

Servite Domino in lætitia; introite in conspectu ejus cum exultatione. Ps. XCIX, 2.

**UTILITAS.** — Cor gaudens exhilarat fa-

ciem; in mœnore animi dejectur spiritus. Ps. XV, 13.

## EX SS. PATRIBUS.

**QUALITAS.** — Est gaudium, quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt. S. AUG. I. IX *Confess.*

Illud est verum ac summum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur; quod, cum acceperis, nemo tollet a te, cui aliunde comparata omnis jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne pulchrum fœdum est, omne postremo, quod delectare potest, molestum est. S. BERN. in serm.

Dedisti lætitiâ in corde meo. Non simpliciter dixit, dedisti gaudium sed, in corde meo, id est, non in externis rebus lætitia ista existit, qualis est istarum rerum secularium ac fluxarum; nam hæc lætitia non cordis, sed solum oculorum est. Idem, in *cit. vers. Ps. IV.*

Bonum tuum quære, o anima; et enim bonum aliud alteri, et omnes creature habent bonum quoddam suum. Quære tuum bonum, hoc est, summum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est? Sunt et inferiora bona, quæ aliis et aliis bona sunt; peiori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, vivere, sanum esse, generare? Tale tu bonum quæris, cohæres Christi? Quid gaudes, quia socius es pecoris? Erige spem tuam ad Deum, bonum honorum omnium. S. AUG. in *Ps. cii.*

Nullum majus signum inhabitantis Spiritus est, quam lætitia spiritualis. S. BERN. apud FAB. conc. II, in *Per. III Pent.*

Nihil ita proprie quemdam in terris representat cœlestis habitationis statum, sicut aliceritas benedictentium Deum. Idem.

Cujusmodi est gaudium, quod est in Domino? Et quid est, quod facientes gaudere debemus? In his, quæ secundum mandatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. S. BASIL. interrog. CXCIII, in *Leg. Brev.*

Scimus, fratres, quod omnis homo gaudere desiderat; sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri. S. AUG. s. xxx de *SS.*

Qui vult gaudere de se, tristis est; qui autem de Deo gaudere vult, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est. Idem.

Verum gaudium non possidetur, nisi pax et justitia teneatur; prima enim est, quasi radix, justitia; secunda, pax; tertia, gaudium; ex justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. CÆSAR. in *Admonit.*

Gaudendum est de iis quæ expectamus, et gaudendum est de iis quæ sustinemus. S. BERN. de *Verb. Apost. s. II.*

Presentis temporis ita agenda lætitia est, ut nunquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria. S. GREG. hom. XXXII.

Lætitia nostra sit timore permixta. S. AUG. sup. *Ps. LXXXV.*

Gaudere prosperitate aliorum generosus est, quam delere calamitatem. S. CHRYSOS. s. XXXI, super *Ep. Rom.*

Gaudere in calamitatibus aliorum impudentium est. Id. ad *Pop. Antioch. hom. XXIV.*

**UTILITAS.** — Secura mens quasi juge convivium; juge, id est, continuum et festivum convivium, quia mens, quæ sine cura est, semper est in gaudio, et æterni convivii jam presentit odorem. HUGO CARD. in *c. XXV. Prov.*

**NECESSITAS.** — Esse sine delectatione anima nunquam potest; nam aut infimis delectatur, aut summis. S. GREG. I. XVIII *Mor. c. VIII.*

**GAUDIUM MALUM.** — Prospera hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. S. AUG. in *Ps. XXXVI.*

Licet in modum stagni fusum æquor ardeat, intus inclusum est periculum, intus est hostis; tranquillitas ista, tempestas est. S. HIER. ep. I. ad *Heliod.*

Jure restat, ut, quot prius in mundo in columes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta. S. GREG. in *Moral.*

Dignum est, ut in se semper homo mœrorem inveniat, qui, derelicto Creatore, gaudium in se quærebat. Idem.

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Gaudes semper vespere, si diem insumas fructuose. L. I, c. XXIV § 11.

Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. L. II, c. IV, § 2.

Habe bonam conscientiam, et habebis semper lætitiâ. C. II, c. VI, § 1.

Noli lætari, nisi cum benefeceris. Ibd. Justorum lætitia de Deo, et in Deo est, et gaudium eorum de veritate. Ibd. § 2.

Excedant spirituales consolationes omnes mundi delicias et carnis voluptates; nam omnes deliciæ mundanæ, aut vanæ sunt, aut turpes; spirituales vero deliciæ solæ jucundæ et honeste, ex virtutibus progenitæ, et a Deo puris mentibus infusæ. L. II, c. X, § 1.

Invenit suavissimam Spiritus Sancti consolationem; qui pro amore tuo omnem carnalem abjecerint consolationem. L. III, c. X, § 3.

Vanum est et breve, omne humanum solatium; beatum et verum solatium, quod intus a veritate percipitur. L. III, c. XVI, § 2.

Si recte sapias, et in veritate sapias, nunquam debes propter adversa tam dejecte contristari, sed magis gaudere et gratias agere; imo hoc unum reputare gaudium, quod affligens te doloribus non paream tibi. L. III, c. XXX, § 6.

Utinam sic tecum esset, et ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum pure stares, et ejus, quem tibi præposui, Patris; tunc mihi valde placeberis, et tota vita tua in gaudio et pace transiret. L. III, c. XXXII, § 2.

Eecce Deus meus et omnia. Quid volo amplius, et quid felicius desiderare possum? Te siquidem presente jucunda sunt omnia, te autem absente, fastidium cuncta. Tu facis cor tranquillum, et pacem magnam, lætitiâque festivam. Lib. III, c. XXXIV, § 1.

O quando veniet hæc beata et desiderabilis hora, ut tua mesaties presentia, et sis mihi omnia in omnibus! Ibd. § 5.

## EXEMPLA.

S. Paulus de seipso fassus est: Repletus sum gaudio, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. II COR. V, 4.

S. Romualdus, licet exuberanti cordis gaudio vim lacrymarum fundens, vultu tamen adeo læto semper erat, ut inventus exhilararet. ENGELG. ser. I, *Bocchan. § 2.*

S. Hieronymus in solitudine tantis gaudiis affluebat, ut ipse scriberet Eustochio: Ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cœlo inherentes oculos, nonnunquam mihi videbar interesse agminibus Angelorum. S. HIER. ep. IX ad *Eustoch.*

S. Scholastica tantis affluebat gaudiis

ut diceret, si dulcedo, quam Deus abscondit servis, cognita esset, mundus non caperet eos, qui Deo servire vellent. ENGELG. l. c.

B. Maria Magdalena de Ursinis, Novitiis præfecta, si suas subditas ridere cerneret, dicere solebat: Ridete, filie meæ, ridete quia justa gaudendi causa est, quod mundi fluctibus erepta in hoc portu securissimo vivatis! Ibid.

S. Antonius semper erat letus, ita ut reliquis Monachis ex vultu hilaritate cognosceretur. S. ATHAN. in *Vita*.

Apollonius ad suos verba faciens dicebat: Tristitur Gentiles, Judæi, et alii infideles; justi vero, qui spe viva celestia bona expectant, letentur, et exultent. LYRANUS, in *Apoph.*

Abbas Apollo, qui ad quingentos habebat discipulos, sic eos instituebat, ut semper essent alacres et leti, ita ut nullam similem lætiam in terris videre esset. Idem.

S. Pacomius in corpore supplicis et inediis exhansto miram præ se ferebat hilaritatem. Ibidem.

S. Bernardus tanta semper lætitia affluebat, ut ea non modicum ei scrupulum injiceret; nam jucundius sibi vivere videbatur in eremo, quam in sæculo vixisset. Ibidem.

S. Franciscus Seraphicus suæ familia Religiosis assiduo hanc lætitiã commendabat, utpote per quam ipse se multum adversus spiritum acediæ juvari adverterat. Hinc si unum subtristem conspexit, vehementer eum objurgavit, dicens: Oportet eos, qui mundo, carni, dæmoni, non vero Deo, serviunt, esse tristes, non autem Fratrem Minorem. Ibidem.

Godofridus Peronenensis S. Bernardi discipulus, cum ad initium suæ conversionis tanto mœrore obrueretur, ut diceret, se per totam amplius vitam lætum non futurum, S. Bernardo pro ipso orante, usque adeo erectus est, ut diceret, se ad mortem usque hilarem vitam traducturum. Ibid. 1.

De S. Martino scribit Severus Sulpitius, eum nunquam moestum visum fuisse, sed semper pacatum, quietum, et compositum. SULPIT. in *Vita Sancti Martini*.

#### EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius et ipse semper letus erat, et suos ad similem lætitiã excitabat, dicere solitus, non minus miraculum censendum esse, moestum deprehendere virum religio-

sum, qui aliud nil quaerat, nisi Deum, quam mirandum, deprehendere lætum aliquem, qui omnia alia quaerit, præter Deum. LYRÆUS, *Apoph. S. Ign.*

Cum Franciscus Costerus adhuc tyro ad risum mire proclivis esset, S. Ignatius eidem dicit: Francisce, audio te semper ridere. Cumque ille dejectis oculis acrem reprehensionem expectaret, subjicit S. Pater: Et ego dico tibi, fili mi, ut rideas, et gaudeas in Domino, quia Religiosus nullas habet causas moestitiæ, multas vero lætitiæ. Ibid.

Bellarminus Cardinalis de seipso fatebatur: Cum essem Religiosus, nesciebam, quid in vita esset tristitia; factus Cardinalis, nescio, quid sit lætitia.

P. Petrus Faber tutius existimabat ad lætitiã nimiam quam tristitiã deflectere, quod in hac sexcenti lateant errores, et multum amaroris; in illa tutoria sunt omnia. *Vita* l. II, c. x.

P. Balthasar Alvarez contemplabatur subditorum vultus, et si quem tristem, aut capite demisso incedere advertebat, corripiebat dicens, in domo Dei neminem tristem esse debere, ideoque excessum in lætitiã potius, quam tristitiã, tolerandum. *Vita* c. XXIII.

P. Antonius Madridius vix primo laceraam tunicam induit, cum illico tanto gaudio imbutus est, ut affirmaret, in tota vita nihil sibi jucundius accidisse. *Hist. Soc.* p. II, l. VII.

Joannes Berkman eam semper oris hilaritatem, alacritatemque præ se ferebat, ut eum aliqui *S. Hilarii*, alii *S. Laurentii* facete appellarent. Dicebat, nescire se, quid sit melancholia, aut melancholicum esse. In Sacro quotidie orabat pro lætitiã spiritus impetranda. *Vita* p. 24 et 93.

#### SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut accidens est, quod adest et abest præter subjecti corruptionem; ita præsens tribulatio et ærumna adest et abest præter justi contristationem et conturbationem. HUG. CARD. in c. XII *Prov.*

Sicut ignis et aqua simul esse non possunt; sic spirituales et carnales deliciae in eodem se non compatiuntur. S. BEN. *epist.*

Sicut cœlum altius est nubibus ac pluvius, cum nubibus obducitur, pati putatur, sed non patitur; et sic nos, etiamsi putamur

pati, nihil patimur, id est, quasi nubibus obduci putamur, sed non tristamur. S. CHRYS. hom. XVI, in *ep. ad Heb.*

Sicut non propterea malas segetes negamus, quia intermixtan sterilem avenam habent; sic nec beate messem conscientie negare convenit, licet acerbus dolor interpellet, cum loli amaritudo frumenti suavitate obducatur. S. AMB. l. III *de Offic.* c. v.

Sicut fonti non deest humor semper ex eo scaturiens; sic probò viro semper adest gaudium; etiamsi res externæ mutantur. PLUTARCH. in *Moral.*

UTILITAS.—Sicut primus orbis cœlestis secundum movet, et secundus tertium, atque alios; ita hoc in loco vis intelligendi movet voluntatem, voluntas appetitum, appetitus vero carnem propter magnam interse virium harum conjunctionem. LUDOVIC. GRANAT. loc. com. 404.

Sicut mel non modo in se dulce est, sed rebus etiam insipidis dulcedinem suam impertit; sic internum (conscientiæ præsertim) gaudium non modo sibi suave et dulce est, sed etiam amara quæque possessori dulcorat. RODRIG. p. II, tr. VI, c. VI.

GAUDIUM MALEM.—Sicut damnatis ad mortem nec cibus, nec potus, nec somnus, aut aliud quidpiam delectabile sincerum gaudium creare potest, quia mortis imminentis terror ob oculos semper versatur; ita multo minus sincerum gaudium illorum inesse potest mentibus, qui sententiam mortis internæ ob peccata gravia commissa, in animo circumferunt. ENGELG. ser. III *Bachchan.*

Sicut stultus foret, qui immensum emetiretur oceanum, ut inveniret, quod domi habet; ita insipiens est, qui gaudium extra se quaerit, quod intra se habere potest. Ibid.

Sicut fideles in lectuosa domo canere incipientes increpantur, et facessere jubentur; ita qui in hoc mundo inepte vult gaudere, merito a sapientibus et virtuosissimis hominibus carpitur, et contemnitur. FAB. conc. VII, in *Dom. 3 post Pascha*.

Sicut pisci, dum extra aquam, et brachio, dum extra locum suum luxatum est, bene esse non potest; ita nec spiritui nostro, dum extra patriam est. Ib. n. 4.

Sicut, si quis mense regiæ cum Damocle assidens, nudum gladium e sella equina pendente, capitiq; imminente videret, omnis ei epularum dulcedo in fel verteretur; ita multo magis impiis gladius divine justi-

tiae capiti eorum imminens omne gaudium in mœrorem convertet. Ib. n. 5.

#### MOTIVA.

Quia gaudium non parum ad gloriam Dei promovendam conducit; sicut ad gloriam et majestatem Principis pertinet, ut famulos habeat cum magna alacritate eidem servientes. LYRÆUS. *Apoph.* l. I.

Quia etiam ad proximum lucrandum non parum juvat; sicut venatores, ut facilius admittantur a feris, viridum vestium amœnum ferisque gratum colorem assumunt.

Quia operationes nostras perficit, Deoque gratiores facit; hilarem enim datorem diligit Deus. RODRIG. p. II, tr. VI, c. II.

Quia ad perseverantiam plurimum conducit; ut enim nullum violentum perpetuum est; ita his, quæ cum gaudio suscipiuntur, libenter etiam insistitur. Ibid.

#### MEDIA.

Vita bona; sic enim jam olim S. Bernardus suavitatis, dicens: Vis nunquam esse tristis? Bene vive; nam timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiã et gaudium, et longitudo dierum. Eccl. I, 12.

Humilitas; sic enim Christus promisit, dicens: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. MATTH. XI, 29. Idem etiam Francisco Costero S. Ignatius suavitatis, dum indubitate hilarem futurum dixit, si humilis et obediens fuerit.

Terrenorum contemptus; hinc S. Paulus ad gaudium exultans, in Domino gaudere jussit: Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudeat. I THESS. v. 16.

Lacrymæ; quia, qui lugent, consolantur, juxta Christi promissum. Hinc et Enochius dixit: Apud Deum hilaritas lacrymis obducitur, et mœrore transit in lætitiã. ENNOB. l. III, ep. xv.

#### ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ Asceta præcipue de hac materia advertere debet, aliisque inculcare. Primum est, ut bene apprehendat fundamentum, super quod gaudium nostrum

ut ita dicam, inædificari et inniti debet, quod quidem fundamentum Cæsarius breviter his verbis indicavit: Verum gaudium non possidetur, nisi pax et justitia teneatur; prima enim est et quasi radix, justitia; secunda, pax; tertia, gaudium; de justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. CÆSARIUS *Admon.* II.

Alterum est, ut bene consideret, firmissimeque credat, quod S. Hieronymus pronuntiavit sequentibus verbis: Difficile, imo impossibile est, ut presentibus quis et futuris fruatur bonis; ut et hic ventrem, et ibi mentem repleat; ut de deliciis transeat ad delicias, et in utroque sæculo primus sit. S. Hieron. *epist. ad Julian.* XXXIV. In quem sensum etiam S. Bernardus: Errat, omnino, si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus Sancti misceri posse hujusmodi illecebris, arbitretur. Quomodo enim ignis et aqua simul esse non possunt; sic spirituales et carnales deliciae in eodem se non compatiuntur. S. Bern. s. VI, *de Asc. Dom.*

Tertium est, ut, quo facilius electionem inter spirituales et carnales seu sensibiles delicias facere possit, discrimen earum bene apprehendere studeat, quod quidem more suo egregie S. Gregorius sequentibus verbis describit: Hoc distat inter delicias cordis et corporis, quod corporales deliciae, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero avide eduntur, comedentem protinus in sui fastidium per sui satiætiæ vertunt. At contra spirituales deliciae, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet; in istis appetitus vilis est, et experientia magis placet; in illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit; augent enim spirituales deliciae desiderium in mente, dum satiant, quia quanto magis eorum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur, et idecirco non habite amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. S. GREGOR. hom. XXX in *Evang.* Ita ille. Quibus addi potest, quod ad verum gaudium requiratur, ut semper haberi queat, hominemque plene satiet, et invito se contra voluntatem auferri non possit;

hæc autem conditiones, ut consideranti facile patebit, in solis spiritualibus deliciis, utpote ex Deo immenso, summo bono, et omnipotente reperiantur.

Quartum est, ut generoso animo se resolvat ad delicias spirituales, spreto terrenis, gustandas; nam gustato spiritu desipit omnino caro. Id, quod S. Augustinus expertum se fatetur, exclamans: O quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas, ejiciebas eas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcor, sed non carni et sanguini; omni luce clarior, sed homini secreto interiori; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. S. AUG. I. IX *Conf. cap. 1.* Unde recte hortatur S. Gregorius Nazianz. Adsit modo voluntas, animique propositum, propinqua est consolatio in ore tuo et corde tuo: Memor fui Dei, et delectatus sum. Quid memoria paratus? Memor ergo esto tu quoque Dei, et delectaberis. O facilem et parabilem medicinam! O ecelestem curandi rationem! O egregiam beneficii magnitudinem, non modo animi dejectionem mœstiatique sedat Dei recordatio, sed et delectationem affert. S. GREG. Naz. orat. *ad cives suos.* Imo et adversa omnia dulcia facit, teste S. Chrysostomo; sicut enim in mare decidens immensum brevis scintilla facile delectatur; sic quantacumque Deum timentis allidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur. S. CHRYS. hom. XVII, *ad Pop.*

#### MISCELLANEA.

QUALITAS. — Recte modum comparandi verum gaudium assignavit Jacobus Billius sequentibus distychis:

Nil sibi consciscat, qui læta vivere mente,  
Atque metu vacuos gessit habere dies.  
Quis probus est, nullo qui pallet crimine, cuique  
Intima commissum non ferit ossa scelus.  
Ille nec horrendi pavidi tremet ora Tyranni,  
Mille nec armatas in sua fata manus.  
Quin etiam terræ si fractus concidat orbis  
Obruet impavidum vasta ruina caput.

JAC. BILL. *Anth. Sac.*

Sapienter Seneca suo Lucilio suadens: Hoc ante omnia fac, mi Lucili, inquit, discere

gaudere. Ad summa pervenit, qui scit, quod gaudeat. Nolo tibi unquam deesse lætitiæ, volo illam tibi domi nasci; nascitur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt, nisi forte tu judicas illum gaudere, qui ridet. SENECA, *epist. XIII.*

Dulciores sunt lacrymæ poenitentium, quam gaudia theatrorum, ait recte S. Augustinus, in *Is. CXXVII.*

Navibus atque quadrigis petimus bene vivere, inquis, cum tamen, læste Horatio, quod petis hic sit:

Intus habes, animus si te non deficit æquis.  
HORAT. I. V, *epist.*

S. Laurentius Justinianus ait, consulto a Deo factum esse, ut Religionis jucunditatem absconderet; quoniam si hanc homines cognoscerent, futurum esset, ut mundus plane totus exhauretur. S. LAUR. JUSTIN. *apud Plat.* I. III, c. 1.

GAUDIUM MALUM. — Hoc breviter expressit Horatius, dum cecinit ad Damoclem alludens:

Districtus ensis, cui super impia  
Cervice pendet, non Siculas dapes  
Dulcem elaborabunt saporum.  
Non avium, cytharæque cantus  
Somnum reducent. HORAT. I. III, ad. 1.

Voluptas et Dolor apud Jovem convitiis se læcesebant; quos cum ipse conciliare nequiret, utrosque tandem catena adamantina adeo colligavit, ut alter ab altero discedere nequiret. PLATO, in *Phædro.*

#### AUCTORES.

Henricus Engelgrave, in *Cælo empyreo*, for. III. *Bachan.*

Mathias Faber, conc. IV et VI. in *Domin.* post *Pascha.*

Nicolaus Lyraeus, in *Apoph. S. Ignatii* apoph. 6.

Ludovicus Granatensis, *Loc. Commun.* f. 489.

Alphonsus Rodriguez, p. II. tr. VI, c. II et III.

Josephus Langius, in *Polyant.* V. eodem.

Laurentius Boirlinck, in *Theatro Vitæ humanæ* V. eodem.

#### GRATIA.

##### QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est qualitas quædam supernaturalis, qua anima ad consequendam bea-

TOMUS II.

tudinem supernaturalem promovetur, uti recte S. Thomas eadem generice sumptam definit. S. THOM. I. II, q. CX, ar. 2.

DIVISIO. — Dividitur I. in *habitualem*, et *actualem*. Prior est habitus supernaturalis reddens verum amicum, et filium adoptivum Dei, realiterque justificans. Posterior est pia illuminatio, seu alia quæcumque actio, qua Deus hominem ad propriam salutem consequendam admonet, et quantum est de se, promovet. Et hæc iterum subdividitur in gratiam *prevenientem*, qua Deus hominem impellit ad operandum, et *subsequentem*, qua juvat, et cooperatur in actionibus hominis perficiendis.

Dividitur 2. in gratiam *gratum facientem*, et gratiam *gratum datam*, quæ primario in utilitatem aliorum ordinatur, cujus novem species a S. Thoma referentur; aliæ enim ad perfectionem cognitionis spectant, ut fides, sapientia, sermo scientiæ; aliæ ad doctrinæ confirmationem, ut gratia sanitatis, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum; aliæ ad pronuntiandi facultatem, ut genera linguarum, et sermonum interpretatio.

Dividitur 3. in gratiam *sufficientem*, eam qua quis potest operari, sed nunquam operabitur; et *efficacem*, eam qua operatio infallibiliter connectitur.

EFFECTUS GRATIÆ. — Primus est *peccati remissio*; juxta illud Salvatoris: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. LUCE VII, 47.

Secundus est, *facere filium adoptivum et amicum Dei*; uti S. Joannes testatus est, dicens: Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, et simus. JOAN III, 1.

Tertius est, *tribuere jus ad vitam æternam*; juxta testimonium S. Pauli dicentis: Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei. Si autem Filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. ROM. VIII, 17.

Quartus est, *opera nostra reddere meritoria vite æternæ*, ut iterum testatus est S. Paulus dicens: Id enim, quod in presenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. II Cor. IV, 27. Sed et Christus idem confirmans: Qui-cumque, inquit, potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. MATTH. X, 42.

Quintus effectus est, *pulchritudinem conferre animæ*; nam, ut S. Gregorius ait: Electorum animæ omne humanum genus, quod in terra secundum hominem conservatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt. S. GREG. I. XV. Mor. c. XXXII.

Sextus est, *vitam animæ conferre*, juxta illud Christi: Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. JOAN. X. Hinc et de filio prodigo dicitur: Mortuus erat, et revixit. LUC. XV. 32.

## EX S. SCRIPTURA.

GRATIA HABITUALIS. — Qui bonus est, haurit gratiam a Domino. PROV. XII. 2.

Ubi autem abundavit peccatum, superabundavit et gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum. ROM. V. 20.

Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. ROM. VI. 13.

Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. EPH. IV. 7. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. I. PETR. IV.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. APOC. XXI. 6.

GRATIA ACTUALIS. — Non potest homo se quidquam, nisi fuerit ei datum accipere a deo. JOAN. III. 27.

Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. II. COR. XII. 9.

Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum. I. COR. XV. 10.

Gratia enim salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur. EPH. II. 8.

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. II. COR. VI. 1.

Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyteri. I. TIM. IV. 14.

## EX SS. PATRIBUS.

## Gratia Habitualis.

QUALITAS. — Sola gratia discernit redempta perditis, quos in unum coæservat mas-

sa perditionis, ab origine ducta creationis. S. AUG. in *Euchir.*

Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes, salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Idem, de *Nat. et Grat.*

Gratia Dei cibus animæ est. S. BERN. *super Cant. serm. LV.*

Gratiæ divinæ adscribitur omne, quod prospere a nobis geritur. S. GREG. *super V. Reg. Gratia non solum adjuvat justum, sed etiam justificat impium.* S. AUG. I. de *Pat. c. XX.*

Gratia facit, ut peccatum nobis non dominetur. Id. lib. de *Conse. c. IV.*

Quantum quis crescit in gratia, tantum in fiduciam dilatatur. S. BERN. s. III in *Cant.*

Postquam undæ genitalis auxilio, superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum, desuper se lumen infudit; postquam coelitus hausto Spiritu in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum prolixis confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, dari, quod prius difficile videbatur geri posse, quod impossibile putabatur ut esset. S. CYPR. I. II. ep. II.

Gratia Dei invictus efficit. S. CHRYS. *super Genes. hom. IV.*

Gratia Dei salvat et laborum retributiones dat. Idem, *super Gen. VII. hom. XXIV.*

Gratia quæ per Christum datur, non solum peccatorum remissionem facit, sed etiam ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur; Spiritus etiam gratiæ dat fidem, quæ etiam non petita a Deo conceditur, ut homini petenti et alia concedantur; nam fides non est liberi arbitrii tantum, sed donum Dei. S. AUG. lib. de *libero Arbitrio.*

DIGNITAS. — Majus est opus justificatio impii, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quam creatio cœli et terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. S. TH. I. II. q. cxxiii. 9.

Bonum gratiæ unius majus est, quam bonum naturæ totius universi. Ibid.

Dei gratia non solum omnia sidera et omnes cœlos, verum etiam omnes Angelos, supergreditur. S. AUG. lib. II ad *Bonif. c. VI.*

Donum gratiæ justificantis impium, est majus, quam donum gloriæ beatificantis justum; quia pius excedit donum gratiæ indignitatem impii, qui dignus erat poena, quam donum gloriæ dignitatem justii, qui

ex hoc ipso, quod justificatus, est dignus gloria. S. THOM. *loc. supra cit.*

Quidquid aliud petitur, nihil petitur; non quia nulla omnino res est, sed quia tanta rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. S. AUG. in *Joan. tr. cii.*

## Gratia Actualis

NECESSITAS. — Pauper et creditor obviverunt sibi, utriusque illuminator est Dominus. Pauper est humilis auditor; creditor et predicator, qui sibi obviat, cum in unam pietatis gratiam conveniunt, utriusque illuminator est Dominus, quia nec iste predicator, nec ille credit sine Dei munere. Unde dicit: Sine me nihil potestis facere. BEDA, in *Gloss. Prov. IX.*

Nihil boni operis agere potest (homo) absque eo, qui illa concessit liberum arbitrium ut suam per singula opera gratiam non negaret. S. HIERON. *ep. Lanceli. opus. IV. n. 99.*

Quotidiana præstat ille præsidia, quibus nisi freti confisique nitamur, nequaquam humanos vincere poterimus errores. INNOC. *ep. ad Conc.*

Ubique Domini virtus studii cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino; nemo custodire sine Domino; nemo quidquam incipere sine Domino. S. AMBR. I. II in *c. XII Luc.*

Conatus nostri et cassi sunt, si non adjuventur, et nulli, si non exiteantur. S. BERN. I. de *Grat. et lib. Arbitr.*

UTILITAS. — Juste instat præcepto, qui præcurrit auxilio. S. LEO s. XVI. de *Pass.*

Vasa namque, quæ creatrix gratia creavit, ut sint, adjunctrix gratia replet, ne vacua sint. S. THOM. *opuse. LXXI c. LXXI.*

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Si scires totam Bibliam exterius, et omnium Philosophorum dicta, quid totum prodesset, sine charitate et Dei gratia? L. I. c. I. III.

Si dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, et senties leviolem laborem, propter Dei gratiam, et virtutis amorem. L. I. c. xxv. § 11.

Habebunt gratiam magnam, qui sponte se subjecerint tue sanctissimæ servituti. L. III. c. X. § 5.

Fili, pretiosa est gratia mea, non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. Abjicere ergo oportet omnia impedimenta gratiæ, si optas ejus infusionem suscipere. L. III. c. LIII. § 1.

Fili, diligenter adverte motus naturæ et gratiæ, quia valde contrarie et subtiliter moventur, et vix, nisi a spirituali et intime illuminato homine dignoscuntur. L. III. c. LIV. § 1.

Hæc gratia, supernaturale lumen, et quoddam Dei speciale donum est, et proprie Electorum signaculum, et pignus salutis æternæ, quæ hominem de terrenis ad celestia amanda instillit, et de carnali spirituallem efficit. Ibid. § 8.

Opus est gratia tua, et magna gratia, ut vincatur natura, ad malum semper prona ab adolescentia sua. L. III. c. LV. § 2.

O quam maxime mihi necessaria est gratia tua, ad inchoandum bonum, ad proficiendum, et ad perficiendum; nam sine ea nihil possum facere; omnia autem possum in te, confortante me gratia tua! Ibid. § 4.

O vere cœlestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque naturæ dona reputanda! Nihil artes, nihil divitiæ, nihil pulchritudo, vel fortitudo, nihil vel ingenium vel eloquentia valent apud te, Domine, sine gratia; nam dona naturæ bonis et malis communia sunt; electorum autem proprium donum est gratia sive dilectio; quæ insigniti, digni habentur vita æterna. Ibid.

Tantum eminet hæc gratia, ut nec donum prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantalibet alia speculatio æstimetur sine ea; sed nec fides, neque spes, neque aliæ virtutes tibi acceptæ sunt sine charitate et gratia. Ibid.

O beatissima gratia, quæ pauperem spiritu, virtutibus divitem facis, et divitem multis bonis humilem corde reddis! Ibid.

Obsecro, Domine, ut inveniam gratiam in oculis tuis; sufficit enim mihi gratia tua, ceteris non obtentis, quæ desiderat natura. Ibid.

Ipsa fortitudo mea, ipsa consilium confert et auxilium. Cunctis hostibus potentior est, et sapientior universis sapientibus. Ibid.

Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum. Quid sum sine ea,

nisi aridum lignum, et stirps inutilis ad efficiendum? *Ibid.* § 6.

## EXEMPLA.

S. Abbas Pacomius ea nocte, quæ illi a suscepto Baptismo prima fuit, mellitum rorem sibi de celo descendere, et in dexteram manum decidere, atque hanc vocem audire visus est: Aperi mentis tuæ oculos, Pacomi, et agnosce in rore isto acceptæ a Deo gratiæ argumentum et pignus. *Vita PP.* l. I, c. v.

S. Maria OEgniæensis, cum infans quidam Exorcismis ad Baptismum pararetur, vidit Dæmonem ab eodem fugientem; ac deinde, cum primum sacris Unctis tinctus esset, Spiritum Sanctum visibili specie in ejus animam, cum innumera beatarum mentium corona ingredientem. *Vita.* l. II, c. IV.

Christus, cum aliquando Sanctæ Catharinæ Senensi animam Palmarinæ (pro qua lucranda plurimum ipsa laboraverat) jam beatam ostendisset, hæc verba adjecit: Quis non omnem merito laborem perferat, ut possit lucrari tante pulchritudinis creaturam? *PLATEUS*, lib. I de *Stat. Rel.* c. XXV.

S. Catharina Senensis, conspecta quondam anima a peccatis pura, et gratia divina exornata, tantam ei pulchritudinem inesse dicebat, ut nullus, qui eam videret, non libentissime pro ea in tali statu conservanda vitam daret. Hinc, ipsa eorum, qui lucrandis animabus se impendebant, transeuntium vestigia deosculari solebat. *SCRIVS*, in *Vita*, 30 April.

## SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut essentia proprietatum; ita gratia habituum supernaturalium, id est, virtutum infusarum radix est.

Sicut hortus regius, pulchris arboribus, et fructibus optimis plenus, tum sapore et odore suo, tum jucunditate et pulchritudine sua mirificam cunctis sensibus delectationem et recreationem affert; ita gratia tum sua excellentia ac pulchritudine, tum præstantissimis, quas generat, virtutum arboribus, et fructibus, summam Deo et Sanctis aspicientibus complacentiam et delectationem parit. *LAMPART*, de *Præst. Grat.* c. XIV.

NECESSITAS. — Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest certere; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi luce divinæ gratiæ

jueatur, non potest recte vivere. S. AUG. I. de *Nat. et Grat.* c. XVIII.

Sicut parvulus, cui amplum a parentibus patrimonium relictum est, Tutore eget, non propter indigentiam opum, sed propter bonum usum earundem; sic homo justus eget assistentia Spiritus Sancti non propter indigentiam gratiæ, sed ut ea bene uti queat. *LUD. GRANAT*, *Loc. Com.* fol. 742

Sicut apodes aves, ubi semel terram attingerint, quia quasi sine pedibus sunt (unde et apodes vocantur) non possunt se amplius elevare, nisi vento flante, easque elevante; ita postquam homo in peccatum cecidit, se ipsum erigere non potest, nisi Spiritus Sancti flamine, gratiæque adjutus. *MARCH*, *Hor. Past.* tr. v. lect. II.

UTILITAS. — Sicut turpitudinis nuditatis vestimento tegitur; ita naturalia mala carnis nostræ præceptis et gratia divina teguntur. S. CHRYS. in *Math.* c. XXVII.

Sicut sol tenebras fugat; ita gratia peccatum ex anima pellit. Hinc S. David dicit: Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. *PS.* c. III, 12.

Sicut agricolæ surculos, quos transplantare volunt colligatos in aqua aut rore conservant; sic Deus custodit animas justorum, quos in celo vult arbori vitæ æternæ inseperere. *LAMPART*, de *Præst. Grat.* c. XI.

Sicut si quis seniculum quendam foda scabiæ opertum, peste quoque ac morbo incurabili laborantem, in summa inopia curandum assumens, extemplo sanum, et in flore ætatis constituit, ita ut ore splendorem, oculis jubar quoddam ejaculetur, et omnes antea formæ præstantia, purpurea insuper chlamide, diademate, et omni regio cultu exornet; sic animam Dei gratia et peccatis eductam, elegantem, et mire amabilem efficit. S. CHRYS. hom. I in *epist. ad Eph.*

Sicut per trochleam ingentia pondera, saxa, trunci, magna vasa etc. subito in aerea attolluntur, et velut in sublimiorem naturam mutantur; ita homines gravi corde, et peccatorum pondere pressi, per gratiam eriguntur, et in alios quodammodo homines mutantur. *LUD. DE PONTE*, in *Can.*

Sicut omnis natio, quæ sub celo est, illustratur a sole; ita Deus usquequaque gratiæ suæ radios diffundit, et per eam corda illuminat. *ENGELGR. Domin.* 2 *Pasch.* § 1.

Sicut pater amat filium, quia ejus caro et sanguis est, ejusque nomen, formam, et mores representat; ita Deus amat hominem

justum, uti filium, quia ejus gratiam in se habet, ejusque moribus se accommodat. *FABER* conc. III, in *Dom. Pentec.*

DIGNITAS. — Sicut si quem Rex aliquis ita diligere posset, ut non regia solum ornamenta offerret, sed mores etiam et sensa regii pectoris transfunderet; insuper suo illum spiritu afflans, daret non alia, quam suamet Regis anima vivere, talis merito felicissimus, omnique honore dignissimus affirmaretur; ita, cum per gratiam in Deo vivamus, moveamur, et simus, et merito summa nobis dignitas accessisse credenda est. *LAMPART*, de *Præst. Grat.* c. XVII.

Sicut primus homo conditus est ad imaginem et similitudinem Dei; ita, in secunda regeneratione, quemque Spiritum S. fuerit consentus, obsignatur ab eo, et figuram Conditoris accipit. S. HIERON. ap. *Lampart*, c. XXX de *Præst. Grat.*

Sicut semen est aliquid fructus, quod in sua virtute totum fructum et arborem continet; ita gratia aliquid Dei est, ac suo modo continet omnia, quæ in Deo sunt. *Id.* c. XXX.

## MOTIVA.

Ad Gratiam æstimandam, et conservandam.

Necessitas; nam sicut navis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, ubi tempestas volverit; sic et homo, divinæ gratiæ auxilio perditio per peccatum, agit quod non vult, sed quo Diabolus ipsum rapit. Et iterum sicut terra non germinat, nisi pluvias susceperit, nec pluvia fructificat sine terra; ita nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia aliquid potest, ut recte S. Chrysostomus discurret, in *Math.* XXI, hom. XXXV.

Utilitas; si enim divitiæ temporales tantopere amantur ob utilitatem, quam habent, ad vitam temporalem commode et jucunde transigendam; quanto magis gratia amanda et augenda est, per quam velut per spiritualem pecuniam et gloriatur, et vita æterna omni felicitate abundans comparatur?

Dignitas; nam major est dignitas per gratiam obtenta, quam ipsa dignitas Matris Dei; nihil enim, teste S. Augustino, materna propinquitatis Mariæ profuisset, nisi felicitus Christum corde, quam carne gestasset. S. AUG. lib. V de *Virg.*

Jucunditas; si enim tam jucundus acclit labor agricolis, semen materiale in terram jacientibus; quantum lætiam affert semina gratiæ, quod in gloriam, et quidem tantam crescet, in animam hominis conjectum?

## MEDIA.

Ad eundem finem.

Humilitas; nam ut Deus superbis resistit, ita humilibus dat gratiam. II *PETR.* v, 5.

Tamor sanctus; ita S. Bernardus suavitatis, dicens: In veritate didici, nihil æque efficacius esse ad gratiam promerendam, retinendam, et recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris, non altum sapere, sed timere, sicut scriptum est: Beatus homo, qui semper est pavidus. Time ergo, cum ariserit gratia; time cum abierit; time cum demò revertetur, et hoc est semper pavidum esse. S. BERN. s. LXXXVII.

Mundities cordis; nam gratia, teste S. Bernardo, balsamum purissimum est, et ideo purum, solidum, et profundum vas requirit. *Id.* s. XIV in *Can.*

Penitentia; nam, ut S. Gertrudis divinitus edocta est, omnes cogitationes, quibus homo cum mœrore suum retractat defectum, post digne peractam penitentiam, nihil aliud sunt, quam quedam dispositio et præparatio ad gratiam recipiendam. *BLOSUS*, c. IV *Monit. Spirit.* Imo, ut S. Mechildis vidit, et quoties anima in paupertate spiritus ad Deum suspirat, vel ingemiscit, desiderans ejus gratiam, statim omnes Sancti gratiam illi animæ impetrant, ac veniam obtinent. *Ibid.*

Cooperatio; sicut enim ignis indiget lignis; ita et gratia alicuius nostræ, et cooperatione opus habet, ut fervere perpetuo possit. S. CHRYS. in II ad *Tim.* hom. X.

Gratitudo; sic enim vis Asceta suavitatis, dicens: Qui gratiam retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro sublata; oret, ut redeat; cautus sit et humilis, ne amittat. L. II, c. XX, § 5.

Generosa sui victoria; nam tantum proficiscies (in gratia et gloria) quantum tibi vim intuleris. L. I, c. XXV, § 1.

## ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ Asceta de Gratia specialiter nosse et observare debet. Primum

est, ut Deo circa distributionem gratiæ plene acquiescat, recolens illud S. Augustini: Dei gratiæ cur ad istum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, iniusta esse non potest. S. AUG. *l. de Bapt. parvul.*

Alterum est, ut eandem gratiæ digne estimare discat, quod facile assequetur, si firmiter sibi doctrinam S. Thomæ persuadeat, asserentis, bonum gratiæ unius majus esse bono totius nature universi. S. TH. 1, 2, q. cxiii, a. 9 ad 12. Quod quia difficulter aliqui capiunt, ideo monet Nierembergius, ut quemadmodum oculum videntem parvas stellas ratio corrigit, et docet singulas majores esse toto terræ globo; sic opinionem, qua gratiæ ut rem exiguam apprehendimus, corrigamus, et minimam ejus partem, toto universi imperio majorem esse credamus. NIEREMB. *de Ador.* l. III, c. viii.

Tertium est, ut se legitime disponere sciat ad gratiæ, qua de re sic loquitur S. Thomas: Bonum est diffusivum sui; sed sicut ol luet semper, non semper illuminat, ignis calet semper, sed non semper calefacit, nisi dispositum; sic Deus effluit, sed non influit, nisi recipienti et disposito (quæ dispositio est conversio animæ ad Deum per potentias). Verum Deus sine mensura effluit, sed cum mensura recipit. S. THOM. *opusc.* lxi, c. xvii. Hinc et S. Aug. dixit: Desiderando, o homo, capax efficeris, ut implearis. S. AUG. *tr. iii in ep. i.*

Quantum est, ut cooperari gratiæ sedulo studeat; nam, ut advertit Gerson, plerumque fit justo Dei judicio, ut, qui gratiæ vel neglexerit, vel repulserit, abutens donis Dei, et talentis summi Patrisfamilias in primo ætatis vigore, dum fas erat, postmodum ad eam veniendi nequaquam recursus illi sit. GERS. *tr. de Parv. adducend. ad Christum.*

#### MISCELLANEA.

QUALITAS. — De Gratiæ recte dicitur illud Jobi: Nescit homo pretium ejus; non adæquabitur ei aurum vel vitrum. Excelsa et eminentia non memorabuntur in comparatione ejus. JOB. xxviii, 23 et 27.

Omnia reliqua vix uno alterove verbo tererunt, (dixit enim, et facta sunt) Ps. cxlviii, 3. Deo sola gratiæ stetit ingenti labore, gravissimis doloribus et contemptibus, sanguineo sudore, diris plagis et vulneribus,

morte ignominiosissima Sancti Sanctorum

UTILITAS. — Cum Elisabeth, Angliæ Regina, Cancellarii sui aedes subintrans, ejus angustias satis mirari non posset, Cancellarius sic eam salutavit: Aedes hæc, o Regina, non sunt nimis angustæ, sed tua Majestas me fecit nimis magnum pro his aëdibus. Cui Regina: Si te magnum fecerim, amplifitabo aedes, ut illæ tali viro, quem extulis, congruæ sint. Quidni multo magis Deus, qui nos per gratiæ amicos suos fecit, domum animæ suis muneribus amplifitabit? ENGELGR. *Domini.* iv *Quadrages.* § 2.

Varro putavit utile esse civitatis, ut se viri fortes credant ex Diis genitos, ut eodem animus, velut divine stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediatur, et fortiter perficiat. LAMPART. *Conf. xv, de Grat.*

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei, (ROM. viii, 16) possunt explicari dignitas et fructus gratiæ, per filium similitudinem, et 1. ostendi, cuius filium gratiæ efficiat, nimirum Dei Regis Regum, et Domini Dominantium. 2. Quo fructu et effectu faciat filium; ut scilicet sit hæres Dei, et coheres Christi. Ubi hæreditatis hujus præstantia et magnitudo explicari potest, quod scilicet nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderit, quæ præparavit Deus diligentiibus se. (1 Coa. ii, 9.) 3. Quantopere deceat, ut vitam tanto titulo dignam vivamus; et illis cuiuspiam Religiosi verbis nos mutuo adhortemur: Non degeneremus ab excelsis cogitationibus filiorum Dei.

Ex occasione thematis: « Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie Dei; » (SAP. vii, 14) potest explicari gratiæ præstantia per amicitie comparisonem, et 1. ostendi cuius faciat amicum; quam sublimis, quam potens, quam amabilis, quam fidelis sit, ut vere exclamare possimus cum S. Gregor. O mira divine bonitatis dignatio! Servi digni non sumus nominari, et amici vocamur. (S. GREG. *in c. xv Sap.*) 2. Quo fructu amicum efficiat, ut scilicet omnia communia faciat, et illud homo justus audire mereatur: Omnia mea tua sunt,

et tua mea. Sicque impleatur illud Siracidi: Qui invenit amicum fidelem, invenit thesaurum; amicum enim fideli nulla est comparatio, et non est comparatio auri et argenti cum bonitate illius. (ECCL. vi, 14.) 3. Quam æquum sit, ut agglutinetur anima nostra per amorem tali amico, et diligamus eum sicut animam nostram, maxime cum ipse non tantum vili tunica se expoliaverit, sed exinaniverit semetipsum, formam servi pro nobis accipiens.

Ex occasione thematis: « Ut societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo; » (1 JOAN. i, 3) potest ejusdem gratiæ dignitas et fructus per societatis comparisonem explicari, et 1. ostendi, quinam veri sint socii; quem in finem serviet descriptio a Dionysio Carthusiano in hæc verba data: Socii appellantur, qui libenter sunt simul, et familiariter colloquuntur, separationis quoque impatientes, atque ad specialem unionem aspirant; qui et secreta sua sibi invicem pandunt; fidelitatem simul conservant; de mutua jucundantur præsentia; in actibus suis communicant, quoniam eadem libenter efficiunt. Imo, sibi invicem cooperantur, et mutuo opem impendunt, et unus prosperitatem cupit alterius. DIONYS. CARTHUS. *in cit. loc. Joan.* 2. Ostendatur, quam perfecte hæc omnia Deus erga justos impleat. 3. Pariter demonstretur quomodo nos vicissim hæc observare debeamus, et quantum ex tali societate fructum et solatium simus reportaturi, ut merito citatus auctor exclamet: O quanta est illa rationalis creature nobilitas, habere cum Divina natura consortium, atque cum proprio Creatore societatem sortiri! Imo et illud Esau suo modo audire: Gradiamur simul, eroque socius itineris tui. GEN. xxxv, 12.

Ex occasione thematis: « Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius; » (SAP. vii, 21) possunt innumeri fructus gratiæ explicari, et 1. Quomodo bonum utile obveniat; quoniam omne aurum in comparatione ipsius arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius, cum per illam solam velut condignum pretium, felicitas et bona æterna comparari ac emi queant. 2. Quomodo bonum honestum obveniat; cum faciat filium et amicum Dei, imo quodammodo unum cum Deo, afferatque secum virtutes, quæ sunt mater gloriæ, teste

S. Bernardo; ut adeo vere exclamaverit S. David: Nimis honorificati sunt amici tui Deus. 3. Quomodo etiam bonum delectabile obveniat; vere enim dicere justus potest cum Salomone: Et letatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia (et gratia) et ignorabam, quoniam horum omnium mater est. Quæ enim major jucunditas et delectatio obtingere homini potest, quam si fini suo, summo bono conjungi, et in eo velut centro quiescere possit?

Ex occasione thematis: « Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipsa vita procedit; » (PROV. iv, 23) potest gratiæ vitæ comparari, et 1. narrari fabula de Prometheo, statuum luteam fingente, et de coelo particulam divine aure, qua statuum animavit, afferente. Ostendatur subinde, id rectius de homine dici, qui velut statua immobilis foret, nisi per gratiæ velut vitam animaretur. 2. Ostendatur, quam vere gratia faciat vivere, id est, ab intrinseco moveri, item nutrirsi sen crescere in virtutibus ac meritis; sentire, id est, cœlestia videre; audire inspirations Dei, odorari exempla Christi et Sanctorum; gustare quam suavis sit Dominus; et tangere mandata Dei etc., denique etiam ratiocinari, id est, meditari vitam et doctrinam Christi, et appetere finem suum ultimum, ad quem Christus viam suis virtutibus ostendit. 3. Ostendatur, quam æquum proinde sit, ut vitam istam, quam nemo in vitis nobis auferre potest, omni custodia, id est, conatu conservemus, sumentes cibum animæ, et declinantes pericula latronum vitam istam eripere satagentium.

#### AUCTORES.

Henricus Lamparter, *de Præstantia Gratiæ Dei.*

Ludovicus Granatensis, *in Locis communibus.*

Jacobus Marchantius, *in Horto Pastorum.*

Matthias Faber, *in Festo Pentecost.* con. iii.

Henricus Engelgrave, *in p. II. Lucis Ev.* cone. xviii.

Philippus D'Outreman, *in Pedagogia Christiano* p. II, c. 1.

Thomas Kempensis l. III, *de Imitatione Christi* c. 34 et 55.

Joseph Langius, *in Polyanthæa V. Gratia.*